

stratione; in Casum absentiae, aut legitime impediti Domini Comitis Bani, qua alias Judiciorum inibi celebrandorum Octavalium, ex Officio, Praesidis;

§. 1. Locumtenens, seu ejusdem Domini Comitis Bani Vices-Gerens, aut alter quispiam, e gremio eorundem Regnorum, ad id aptus et idoneus, per Comitem Banum et Regnum (de Antiqua ejusdem consuetudine) pro Praeside, toties quoties necessum fuerit, possit ac valeat legitime denominari et constitui.

*De publicorum Onerum Contumacibus et Refractariis supportatoribus; ad eadem compellendis.*

#### Articulus 90.

Naturali siquidem ratione et aequitati conforme sit; illi, cui bonum Publicum commune est, onerum quoque publicorum supportationem suo modo communem esse debere;

§. 1. Qui igitur contumaciter talibus semet subtraherent et Jurisdictioni Regni subjecti essent; ut suis viis et modis eatenus adigantur et compellantur, justum omnino esse.

*De abrogandis Tricesimatorum abusibus; Legibusque eatenus etiam ad Arendatores extendendis.*

#### Articulus 91.

Articulo 13. et 51. praesentis Diaetae Regni Ungariae, benignissima Resolutio Regia; Regno quoque Croatiae et Sclavoniae communiter deserviet;

§. 1. Qui Articuli, ad quoscunque etiam Tricesimarum in Regnis illis Arendatores extenduntur.

*De Confirmandis Praerogativis Nobilium unius Sessionis et Armalistarum.*

#### Articulus 92.

Nobilium Campi Turopolya (prout et Armalistarum, ac unius Sessionis) Exemptiones, Praerogativas et Libertates, in quarum videlicet legitimo ac imperturbato usu, praeuissent et ad praesens usque persisterent; pro renovatis et confirmatis haberi. \*)

§. 1. Familiae demum Draskovichianae, respectu Bonorum Sztenichnyak; ita et Comitissae Barbarae Erdödy occasione Domini Bozilievo; non secus de praecavendis, remedendisque gravibus admodum Excessibus Status Militaris Capronczensis, Varasdiensis et Carlostadiensis; finita hac Diaeta, quantocyus coram

\*) Confirmatur iterum; An. 1741. a. 60.